

SIGILLA insuper sunt Sacramenta.

Non enim tantum signa sunt significantia,  
figurativa seu admonitoria; sed &  
confirmantia.

Res ipsas enim in usu legitimo repræsen-  
tant, offerunt, obsignant, conferunt  
& exhibent.

Cujus rei causa non modò ἀντίτυπα; sed ἀσφα-  
λίσιμα & ab Apostolo nostro σφρα-  
γίδες vocantur. Rom. 4, 11.

σημείωματα duo.

1. Ergò nec in externis signis herendum, nec ea  
pro reb. ipsis habenda: quæ miserabilis ani-  
marum servitus est: vel ipso Luthero teste.

2. Vanitas Calumniarum Antagonistarum  
hinc liquet: Vociferantium à Sacramen-  
tis nos corpus & sanguinem Christi ex-  
cludere; nuda signa & præsentiam imagi-  
nariam hoc est Spiritus seu deitatis so-  
lummodo ponere; omnipotentiam & ve-  
ritatem Dei inficiari &c.

Vah homines impudentes!

Simplicium & imperitorum aures his non eru-  
bescant implere; licet millies refutatis!

DIFFERENTIA sequitur Definitionis.

Auctor Sacramentorum Christus Jesus est, qui  
de consilio & auctoritate S. Triados  
Sacramenta N. Federis instituit.

Solius enim Dei est præcipere Ecclesie  
certos ritus & ceremonias.

Solius Dei est quoque ritibus istis addere  
promissionem gratiæ.

Ut enim solus Deus testari potest de sua  
voluntate & promissionibus:

N n